

Pars II.

*De Etymologia*

Caput I

*De Articulo.*

§ 1. Cum in Lingua Daco-Romana terminatio nominum eadem maneat in omnibus Casibus, Articuli, quibus praeter Genera Casus quoque indicantur, perpetuo adhibeantur, necesse est.

Est autem Articulus in Daco-Romana Lingua duplex: alter definitus, qui rem determinat, indefinitus alter, qui rem non determinat.

§ 2. Indefinitus est *Un*, quidam masculini, & *O*, quaedam foeminini Generis, Neutro enim Daco-Romani prorsus carent. Declinanturque hoc modo:

ARTICULI INDEFINITI  
DECLINATIO

*Singulariter.*

*Masc*

N. Un, *Quidam*.  
G. A-unui.  
D. Unui.  
Ac. Pe-un.  
V. *caret*.  
Ab. Dela-un.

*Fem.*

O, *Quaedam*  
A-unei.  
Unei.  
Pe-o.  
*caret*.  
Dela-o.

*Pluraliter.*

N. Uni, *Quidam*.  
G. A-unor.  
D. Unor.  
Ac. Pe-uni.  
V. *caret*.  
Ab. Dela-uni.

Une, *Quaedam*.  
A-unor.  
Unor.  
Pe une.  
*caret*.  
Dela-une.

**Nota I.** Articulus indefinitus, quando adhibetur absque nomine, indiget articulo definito tam in singulari, quam in plurali; quando vero cum nomine est conjunctus, articulo definito non indiget, potest tamen in plurali hunc quoque tibi addicere. v.g. *Au murit un hom*, mortuus est quidam homo. Sine nomine dicendum: *Au murit un-ul*, mortuus est quidam. In plurali dicitur: *Au murit uni homeni*, vel *Au murit uni-i homeni*, mortui sunt quidam homines.

**II.** Articulus indefinitus foemininus, quando definitum tibi addicit, in Nominativo singulari non amplius dicitur O; tel Una cui addito articulo definito A fit Unaa. V.g. *Au murit o muliere*, mortua est quaedam mulier. Sine nomine, & cum articulo definito dicendum: *Au murit unaa*, mortua est quaedam.

**III.** Possunt loco Articuli indefiniti pluralis numeri tam masculini, quam foeminini adhiberi Pronomina *Nesce*, vel *Nisquali*, quidam, quaedam. V.g. loco *Uni homeni plang*, quidam homines plangunt, dici potest *Nesce*, vel *Nisquali homeni*, vel *mulieri plang*, quidam homines, vel quaedam mulieres plangunt.

*De Articulo definito.*

§ 3. Articulus definitus masculinus est *L'*, vel *Le*, vel *Ul*, aequivalens Articulo definito Germanorum *Der*, & Italarum *Il*. *L'* postponitur nominibus masculinis, desinentibus in *A* vel *U*. V.g. *Tata-l'*, *Der Vater*, *Il Padre*. *Reu-l'*, *malus*. *Le* desinentibus in aliam quamcunque vocalem. V.g. *Cane-le*, *der Hund*, *il cane*, *canis*. *Ul* postponitur nominibus

masculinis desinentibus in consonantem simplicem, aut duplicem. V.g. *Bon-ul*, bonum, *Domn-ul*, Dominus, *Der Herr*, Il Signore.

Articulus definitus foemininus est *A* aequivalens articulo Germanorum *Die*, & Italorum *La*, postponiturque nominibus foemininis quomodocunque desinentibus. V.g. *Lana-a*, lana, *Flore-a*, flos &c.

## DECLINATIO ARTICULI DEFINITI.

### *Singulariter.*

<i>Masc</i>	<i>Fem.</i>
N. L', <i>vel</i> Le, <i>vel</i> Ul.	A.
G. A-lui, <i>vel</i> A-ului.	A ei.
D. Lui, <i>vel</i> ului.	Ei.
Ac. Pe-l', <i>vel</i> Pe-le, <i>vel</i> Pe-ul	Pe-a.
V. <i>caret.</i>	<i>caret.</i>
Ab. Dela-l', <i>vel</i> Dela-le, <i>vel</i> Dela ul.	Dela-a.

### *Pluraliter.*

N. I.	Le.
G. A lor.	A-lor.
D. Lor.	Lor.
Ac. Pe i.	Pe le.
V. <i>caret.</i>	<i>caret.</i>
Ab. Dela i.	Dela-le.

(S. Micu-Gh. Șincai, *Elementa linguae daco-romanae sive valachicae*. Studiu introductiv, traducerea textelor și note de M. Zdrenghia, Dacia, Cluj-Napoca, 1980, pp. 21-23)